



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Julium, Augustum, Septembrem

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 4. Nemo servire Deo simul, & mundo potest.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60520](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60520)

Augustus.

DIES IV.

Nemo Servire Deo simul, &
mundo potest.

I.

Nemo potest duobus Dominis servire: inquit *Matt. 23.*
Christus. Qui non est mecum, contra *Luc. 12. 30.*
me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Ini-
micus apertus minùs est formidandus, *Luc. 11. 23.*
quàm amicus fraudulentus & dubius: ab
illo nobis cavemus; at cùm isti non diffi-
damus, omnibus ejus technis exponimur:
Deus respuit cor divisum, & vel totum, vel
nihil habere cupit. Totum ei non dare, est
nihil dare. Deus tam magnus est, & cor
nostrum tam parvum; & quomodo igitur
hospitium in eo præbere potes cuiuspiam rei
cum Deo? Deus non credit, se nimium ti-
bi dare, cùm totum se tibi donat. Et tu
totum te ipsi non donabis? potesne aliquid
per hoc perdere? Da totum, & invenies
totum, da te ipsum, & invenies
Deum. S. Dominicus, cujus hodie festus
dies agitur, alia de causa vir tam Sanctus
non fuit, nec tantas à Deo gratias accepit,
nisi quòd se totum Deo donârit, nulla re si-
bimet servata.

H 3

II. Deus

Augustus.

II. Deus in corde nostro residere desiderat non aliter, quàm Rex in throno suo. Rex nec æqualem sibi, nec socium Regni sui patitur: socium ei jungere, est contra eum rebellare. Animæ nostræ sunt Christi sponsæ, amor sponsi amor est delicatus, & zelotypus; alium præter ipsum amare non potes, quin ipsi perfidus sis. Si Christo rivalem jungis, inimicum ei associas, simulque remetipsum ejus inimicum profiteris. Quid igitur erit, rivalem ei sociare, crudelissimum ejus hostem, nempe mundum? necessum est, ut à Christo te abalienes, nisi à mundo penitus abalienare te velis. Medium hac in re teneri non potest: mundum Christo sociare velle, est Christo injuriam inferre. Mundus quidem societatem cum ipso iniret, sibi que id honoris duceret. At Christus id ratum non habet, imò dedecori ipsi foret. Lumen potius tenebris jungi se pateretur, quàm Christus mundo: si quis Arcam Dei, Baali in eodem altari sociaret, necessario idolum hoc rumperetur, vel corrueret.

III. Deus averfatur homines, qui utriusque dissidentium adhærent, & minùs horret animam frigidam, quàm tepidam, inimicum apertum, quàm amicum ignavum, & imbecillem. Nec inducias admittit; sed

sed vel bellum, vel pacem cupit: ij, qui Augustus, duobus adhærere volunt principibus, quibus malè inter se convenit, utrumque non raro sibi infensum reddunt. Si Deo satisfacere, & mundo volumus, neutri plerumque satisfacimus. Obsequia, quæ uterque præstare sibi cupit, adeò ferè insociabilia sunt, ut uni morem gerere nequeamus, quin alteri desimus. Væ vobis, inquit Spiritus Sanctus, qui duplici estis corde. Cor dividi non potest, quin discerpatur. Semi-pius, plus agit mali, quàm effrænatae licentiæ homo: cùm enim illum probum esse censeamus, ab eo nobis haud cavemus, sed securè eum imitamur; cùm ex adverso exemplum hominis vitæ liberioris, & passim non bonæ famæ tam periculosum non sit; sed potiùs rationem nobis suggerat, id vitandi, quod ab ipso fieri cernimus.

Scrutare cor tuum, ut videas, an id divisum non sit, & an non mundum Christo sociare conetur? quo nihil est communius; sed nihil etiam periculosius.

Nemo potest duobus Dominis servire.
Matt. 6. 24.

Quid tibi de his, quæ fecit Deus, sufficit, cui Deus ipe non sufficit? Aug in Psal.

H 4 DIES.